

# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA  
Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08  
Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT  
Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## O HIEROSOLYMA...


Mense Decembri anni 1991 in rem publicam Israhelianam quartum iter feci. Occasio mihi bona visa erat, cum Americanorum iussu inter Israhelianos et eorum vicinos Arabes ageretur de pace tandem facienda. Sed cum Palaestinam peragrem, inveni incolarum mentes ad pacem parum esse pronas. Mihi enim non licuit oppidum Bethleem, cuius plerique incolae sunt Arabes, die Natalis Dominici intrare. Israheliani timebant ne tromocratae nefariis facinoribus festum Nativitatis perturbarent atque eorum milites oppidi aditum prohibebant omnibus peregrinis, nisi iam diu licentiam rite petiverant atque indictis coenautocinetis advehebantur.

Mihi tunc in mentem venit haec sententia bene nota: «Pax hominibus bonae voluntatis». Nimis enim raro pax gignitur ex hominum bona volun-

tate. Plerumque pax tantum est aequilibrium instabile semperque vacillans inter contrarias vires vel etiam fallax gentium tranquillitas vi potentioris imposita. Recordabar calamitosam Iudaeorum in Palaestinam migrationem et illam heroicam pugnam qua sibi parvum agrum servare valuerunt, ubi rem publicam Israhelianam conderent. Nostrates tunc eo magis miserebat novae nationis Iudaeae, quod tyrannus Aegyptius Nasser clamabat se eam in mare mox compulsurum esse totamque exstincturum.

Decursu tamen annorum Israhelianorum fama gradatim mutata est. Postquam vicinorum Arabum exercitus compluries profligaverunt finesque suos multum auxerunt, Israheliani a pluribus in dies habiti sunt ut domitores atque invasores. Quanta opinionis mutatio: Arabes qui in Israhelia-

### CIVITAS HIERVSALEM



Descriptio anno 1559 in aere incisa.

norum ditione nunc sunt videntur miserandi! Ipse expertus sum quantum apud eos colatur odium in Israhelianos. Nam cum oppidum Hebron transirem autoraeda conducta vectus, media in frequentissima Arabum turba quidam gravi lapide posticam autoraedae partem percussit. In vicinis locis multos pueros ne decem quidem annos natos vidi fundam exercentes.

Deest ergo omnis bona voluntas. Qualis pax institui poterit in his regionibus, ubi permixti sunt homines tanto odio separati?

Cum in summo monte Masada ambularem, mihi in mentem venit hodiernos Israhelianos cum veteribus Romanis comparare. Hodierni Israheliani maxime gloriantur quod Iudaei rebellionem bis fecerunt contra imperantes Romanos. Oppressa prima rebellione, Iudaei Zeloti in arida desertaque regione ad mare Mortuum sita oppidum Masadae tenebant, cum rerum natura tum Herodis cura inexpugnabiliter munitum.

Quod diu tolerare non poterant Romani. Flavio Silvae mandatum est ut Masadam expugnaret, id quod post octo mensium obsidionem anno 73 methodice perfecit. Nullo alio loco tam dilucide percipi potest qualis fuerit Romanorum ars poliorctica. Murus enim quinque fere chiliometra longus, quo Flavius Silva obsessis omnem commeatum intercluserat, et octona castra, quae circum Masadam collocaverat, adhuc bene servantur propter locorum desertissimam solitudinem atque mirabiliter de summo oppido conspiciuntur.

Tam alta praeuptaque sunt montis Masadae latera ut machinae bellicae ad oppidi muros subduci non potuerint. A Romanis tamen fieri potuit. Vicinum collem milites effoderunt, cuius allata terra ingentem aggerem occidentali lateri montis apposuerunt. Hic artificiosus clivus, quo machinae bellicae ad murum provectae sunt, tam bene servatus est ut adhuc accessum det ad summum oppidum.

Hodierni Israheliani malunt secum recordari facinus illorum mille fere Zelotorum obsessorum, qui, muro effracto, cum oppugnationem sustinere non possent, sibi gladio vitam exhausserunt. Ego cogitabam Israhelianos, qui nunc Palaestinam administrant, eodem modo cum rebellantibus Arabibus agere ac olim Romanos cum Iudaeis. Qui libertati humanitatisque plus favent, boni administratores an fanatici?

Hierosolyma a Christianis diu habebantur ut umbilicus mundi. In opere c.t. «Civitates orbis terrarum» (1657) est pulchra Hierosolymorum descriptio aere incisa; huic superscripta est haec sententia: «*Haec est Ierusalem. Ego eam in medio Gentium posui et in eius circuitu terras*» (Ezechielis v.). Christianus quidem qui per veteris urbis angiportus ambulat difficile invenit Christianitatis polum; ecclesia enim Sancti Sepulcri, quamvis in excelsiore loco exstructa, supra tecta non eminent,

in aedificiis inclusa est atque tota obtegitur praeter portam, ad quam accessus datur per artam plateam. Multo spectabilior certe erat prima basilica quam ibidem aedificandam curaverat Constantinus Magnus. Quae basilica, iam anno 614 a Persis incensa sed postea restaurata, anno 1009 a califa Fatimida Hakim funditus deleta est. Partim reaedificata est ab imperatore Byzantino Constantino Monomacho anno 1048. Ecclesia, quae nunc exstat, a Crucigeris XII saeculo exstructa est in Constantinianae basilicae area. Ea tamen multo minor est, cum desint atrium et ingressus principalis, qui patebat in cardinem maximum.

Califae Arabes non dubitaverunt media in area templi Herodis meschitam aedificare: superba, solitaria, undique spectabilis adhuc erigitur Domus Rupis. Alteram minus spectabilem in angulo areae postea aedificaverunt.

Iudaei modestius ad murum occidentalem areae templi precantur lamentanturque templi eversionem; eis etiam interclusus est accessus ad summum montem Moriah, ubi Abraham filium Isaac sacrificare voluit, ab eo tempore quo Mahometani ibi Domum Rupis exstruxerunt.

Vix in orbe terrarum invenitur locus memoriis religiosus locupletior. Tres religiones monotheistae ibi iam permulta saecula vigent, quarum fideles eundem Deum diversimode colunt, singulis autumantibus se Dei iussis rite obtemperare. In quibus nix, alter alterius auctoritatem dignitatemque labefactare conatur. Odium et mutua contemptio accenduntur, atrocia bella suscitantur in nomine Dei.

Is qui sine studio liberoque animo has res considerat facere non potest quin de talibus divinis iussis dubitet. Potius putat permultos homines nomine Dei abuti solere, ut religiosus praetextibus pravam indolem occultent.

Sed de caelo in terram revertar.

Dum Hierosolymis ambulo, ubique video Hebraicas inscriptiones et comperio Israhelianos linguam Hebraicam per tot saecula inusitatam in usum ita restituisse ut fere omnium civium nunc sit sermo cottidianus. Multae etiam sunt inscriptiones Arabicae et cogito Arabes, qui extentum agrum incolunt et quorum lingua decursu temporum corrupta in varias dialectos divisa est, usum linguae Arabicae classicae ita restituisse, ut nunc ubicumque terrarum Arabicarum intellegatur.

Europaei contra suam linguam communem eamque Latinam nunc neglegunt; inter vernaculas inscriptiones pleraeque sunt Anglicae, cum ante rem publicam Israhelianam conditam Angli Palaestinam administraverint. Revera non desunt inscriptiones Latinae sed rarissime sunt recentes. Spero tamen fore ut via dolorosa Latinitatis, ut via dolorosa Christi, finiatur resurrectione. ■

Gaius LICOPPE

# DE QUODAM SEMINARIO INSULIS HABITO

SCRIPSIT IOHANNES DAYEZ

Mense Novembri huius anni 1991 seminarium Latinum Insulis (v. Lille in Francogallia) organizare potui. De quo mihi maximo est gaudio vobiscum aliquantulum loqui. Magister Francogallus sum neque mihi sunt ulli tituli quibus ornatus et praeditus seminarium instituam. Tamen fieri potuit ut ego - magister ignotus - ad linguam Latinam defendendam et promovendam aliquid facerem.

Primum pauca verba de historia seminarii mei. In mentem mihi venit aliquid pro lingua Latina incipere cum, anno proximo superiore, Cantiliaci (prope Lutetiam Parisiorum) seminarium Latinum participarem et Doctorem Eichenseer invenirem audiremque. Prorsus in illud seminarium fortuito veneram, curiositate adductus, sciendi cupidus quae nobis magistris dictura essent. Cui seminario titulus erat «langues anciennes et communication» (de linguis antiquis et communicatione) neque quidquam in illo seminario exspectabam nisi nonnulla consilia ad institutionem Latinam utilia.

Non solum consilia, sed etiam multas alias res domum reportavi. Cantiliaci didici adhuc esse homines Latine loquentes et colloquentes quos ipse vidi et audivi et adlocutus sum. Deinde me Latine nescire et linguam Latinam pessime didicisse intellexi. Et ea lingua quae mihi in dies taedio fiebat «sub alia luce» (sicut nos Francogalli dicimus) mihi apparuit. Idcirco nunc, quantum possum, linguae Latinae faveo et ut talia qualia ipse Cantiliaci audiveram alii magistri quoque audire possent, seminarium Latinum in regione mea organizandum esse mecum cogitavi.

Superioribus meis de hoc seminario Cantiliacensi aliqua verba feci et ab eisdem permissionem petivi ut idem seminarium Insulis organizare possem. Iure dicitur patria mea libertatis terra esse. Mihi ergo permissum est ut quae volebam facerem. Viginti homines circiter seminarium meum participaverunt, sed numerus multo maior (circiter octoginta homines) erat magistrorum et magistrarum qui adesse optaverunt.

Pauca verba nunc de programme.

Primo de textibus lectis et legendis actum est. Quod ad tractandum mihi fuit auxilio Professor Claudius Fiévet, ex Universitate Palensi. Qui iam multos annos Latine loquendo alumnos suos docet. Saepissime enim Latine discere nihil aliud est nisi in patriam linguam suam textus Latinos convertere, aliquo vocabulario auxiliante. Sed eo modo

discipuli nihil discunt. Vocabularium suum tantum rescribunt et pro certo habent linguam Latinam quasi mortuam esse. Sed Latine loquendo res se aliter habent. Lingua Latina denuo lingua vera, lingua aliena, lingua viva fit; quam intellegere oportet et qua utendum est, sicut mos est in omnibus linguis discendis et docendis.

Numquam ullum verbum Latinum, ullam sententiam Latinam collegae mei audiverant neque umquam hominem viderant Latine loquentem antequam Professorem Claudium Fiévet audiverunt. Magno gaudio eis fuit aliqua verba Latina dicere, aliquas sententias parvulas proferre. Latine loqui: quas novas res!

Secundo de primis libris Latinis actum est. Quod ad tractandum mihi fuit auxilio Iohannes Iacobus Bertrand qui Melissae et Voci Latinae favet. Libro cui titulus Via Nova est Iohannes Iacobus Bertrand utitur, libro Francogallico quo magistri nova ratione linguam Latinam docere possunt. Mea sententia nonnulla vitia in hoc libro inveniuntur. Exempli gratia imagines quarum praesentia maxime necessaria est cum institutio Latina in eis imaginibus nitatur, non satis pulchrae sunt. Iohannes Iacobus Bertrand nobis quoque monstravit quomodo ex commentariolis nubeculatis Latine cum discipulis loqui possemus.

Tertio de pronuntiatu et de magnetophono adhibendo in lingua Latina docenda actum est. Quibus de rebus multa nobis dixit et monstravit Patricius Bougy, Latinitatis vivae fautor et cultor egregius. Magnetophoni beneficio, exercitationes multo utiliores sunt: discipuli multo attentiores fiunt, responsa multo citius proferenda sunt, rhythmus quidam additur.

Quarto de lingua Latina viva in Europa actum est. Quod ad tractandum Doctorem Licoppe invitaveram qui vicinus noster est cum Bruxellae ab Insulis circiter 100 kilometra distent. Quem collegae mei quasi religiose audiverunt. Die sequenti mihi quidam dixit Doctorem Licoppe seminarii conscientiam esse. Hoc verum est et, Doctore Licoppe absente, aliquid - anima aliqua scilicet - seminario meo defuisset. Ego pro certo habeo hoc necessarium esse ne lingua Latina in scholis solis includatur (ut ibi moriatur).

Tandem postremus venit, ultimo die, magister quidam singularis Iohannes Hamez nomine, qui nobis explicavit quomodo per viam informaticam


linguam Latinam docere possemus. Ordinatum unum adhibendum est cuius imagines per retro-projectorium in scrinium mittuntur. Sic discipuli attentiores fiunt et sententiarum structuras melius vident. Hoc nobis quasi prodigium visum est! Quid de hoc seminario superiores mei nunc

cogitaturi sint nescio. Sine dubio eis quoque omnes res hae novae sunt. Utinam eis placeant! Enthusiasmus nonnullorum collegarum sine dubio eis persuadebit in has vias novas nobis ingrediendum esse. ■

---

# LYCEUM CLASSICUM TAMPERENSE IN FINNIA

SCRIPSIT TEIVAS OKSALA



*Lyceum Classicum Tampersense iacet iuxta celeberrimam ecclesiam cathedralen, apostolo Iohanni dedicatam, cuius formam architectus Firrus Lars Sonck (1870-1956) delineavit et quae mira arte lapidarum initio saeculi nostri aedificata est. Hoc monumentum omnium artium visualium illum motum internationalem repraesentat, qui «Juventus» (Jugend) vel «Ars nova» (L'art nouveau) nuncupatur. Admiratores illius architecturae loquuntur de «poesi granitica» vel de «Finlandia granitica» (cfr poema symphoniacum Sibelii nomine «Finlandiam»).*

Lyceum Classicum Tampersense, una e scholis Finnicis, in quibus pueri et puellae iam tredecim annorum linguam Latinam discere possunt, 19.10.1991 nonaginta annos explevit. Schola hodierna continet ludum fundamentalem classicum, ubi studia Latina aetate tredecim annorum incohantur, et gymnasium classicum, ubi illa studia tribus annis continuari possunt. Numerus discipulorum «classicorum» in schola fundamentali est circiter 300, in gymnasio autem paene 100.

Magistra Maija-Leena Kallela, quae prima est motrix apud nos didactices Latinae modernae, in docendo etiam vivam Latinitatem exercet. Hoc non antea in scholis fundamentalibus Finnicis factum est. De fructibus lectoribus Melissae postea nuntiabimus.

Cum festivitatum moderatores a me peterent, ut in librum festivum laudationem linguae Latinae conscriberem, scilicet Latine et Finnice, naturae convenienter iis morem gessi et versionem Latinam Melissanis misi.

\*  
\* \*

## LAUDES LINGUAE LATINAE

Lingua Romanorum, lumen huius scholae, Latinitas, vinculum unitatis Europaeae, Tu non solum es sermo virorum acrim, gravis ut sonitus armorum, sed etiam susurrus et cachinnus bellarum puellarum, mitis ut aura aestiva. Tuus maximus poeta canit «Arma virumque cano...», sed etiam «... splendet tremulo sub lumine pontus». Ideo est nobis summum gaudium, quod hodie etiam puellae Te in scholis fundamentalibus et



gymnasiis classicis discere possunt, in primis in urbe nostra, ubi schola culturae Tui dedicata haud longe a cataracta Tammer, iuxta excellentissimam ecclesiam cathedralem stat et suae identitatis memor hoc autumno novem decennia sua expleta celebrabit .

Initio fuisti sermo pastorum circa Capitolium et Palatium gregem pascentium, deinde post urbem conditam non solum potestate armorum sed etiam auctoritate morum paulatim ita crevisti, ut lingua totius Italiae, vinculum Saturniae Telluris, fieres. Iuppiter in ultimo Aeneidos libro pollicetur: «... faciamque omnes uno ore Latinos.» Postremo regina orbis mediterranei occidentalis facta populos regendo et paci mores imponendo artes Graecas populis Europae donavisti totamque hereditatem antiquam cum posteritate communicavisti.

Imperio Romano corridente tamen in tempestatibus populorum transmigrantium identitatem Tuam in sinu unius sanctae catholicae ecclesiae conservavisti, denuo effloruisti, unitatem culturalem novis Europae populis praestitisti. Ita etiam prima lingua litteraria Finno-romanicorum exstitisti, cuius fructus dulcissimos etiam hodie in forma «Piarum cantionum» degustare possumus.

Initio novae aetatis Tu, Lingua nostra clarissima, resurrexisti in renascentibus antiquitatis studiis Francisci Petrarcae et Erasmi Roterodami. Re tamen vera numquam sepulta eras, novum tantum cursum tempore illo cepisti. Praecipue in studiorum universitatibus et in scholis colebaris. Hanc traditionem et hereditatem etiam schola nostra sequitur hoc tempore festo cum multa signa faustissima observari possunt. Hodie multi homines, adprime iuvenes rursus Latine, id est verbis



*Aedificium scholae initio huius saeculi constructum stilum, qui «Juventus» vulgo appellatur, repraesentat. Muri parietesque eius inscriptionibus Latinis ornati sunt. In diem ipsum festum modulator Finrus Rauno Lehtinen, discipulus olim scholae, cantatum composuit, in quo omnes illi textus Latini musicis modis tractantur. In hoc muro duo disticha legere potes:*

*FENNIA VOS GENUIT GREMIO VOS INTIMA FOVIT.  
ARBORIS AUSCULTET MURMURA QUISQUE SUAE.  
FENNI VOS MANEATIS. AT HOC ANIMIS RETINETE  
GRAECIA QUID DEDERIT VOBIS ET HESPERIA.*

Tuis, colloqui incipiunt. Kalevala, epos nostrum nationale, versibus Tuis est translata. Nuntii Latini e Finnia in omnes mundi partes emittuntur. Confidimus Te ipsam, linguam aeternam canorissimam et sapientissimam, denuo vinculum Europae redintegrandae futuram.

*VIVAS, CRESCAS, FLOREAS, LINGUA AETERNA,  
SED FLOREAT, CRESCAT, VIVAT ETIAM  
HAEC SCHOLA TUAE HEREDITATI DEDICATA !*

Scripsit Teivas Oksala quondam (anno MCMXLVII/VIII) discipulus Lycaei Classici. ■



## AVES



Vivere et id nescire potest avis alta volando;  
sed quam triste mihi vitae cognoscere pondus!  
Cras in me, de me quid erit? Lucemne videbo?  
Tot numerare alas rursus potero invidiosus?  
Talia non quaerunt volucres quibus una voluntas,  
ecce, est vivere et id nescire volando volando.

## 1492

PROPONIT FRANCISCA DERAEDT

*Verba volant, scripta manent; at cur maneant, nisi ut legantur? Excutiamus ergo pulverem bibliothecarum inveniamusque textus variorum temporum generisque varii.*

*Ceterum quis nescit Christophorum Columbum hoc anno singulariter celebrari (1492-1992)? Peropportune! In librum modo incidimus, anno 1555 in lucem editum, quo tractatur de regionibus illo tempore inventis: qui est 'Simonis GRYNAEI Novus orbis regionum ac insularum veteribus incognitarum, Basileae apud Io. Hervagium'<sup>1</sup>.*

*Simon Grynaeus (1493-1541), Germanus theologus philologusque, inter amicos suos numerabat Lutherum, Calvinum, Thomam Morum, Erasmum. Ad litteras Latinas, quas callebat, in Germania provehendas operam dedit; vertit in Latinum nonnulla opera Graeca; in quodam monasterio manuscriptum invenit ultimorum quinque librorum Livii,*

*quem acceptum Erasmus in lucem edidit.*

*Eius «novus orbis», quo variae relationes mirum in modum colliguntur, habetur ut prima itinerum historia generalis. Omnes insunt: et Christophorus Columbus, et Americus Vesputius, et Marcus Paulus Venetus, et Ferdinandus Cortesius, et Aloysius Cadamustus, et Pontifex Leo X, et Canibali, et Iosephus quidam Indus qui voluit terras occidentales lustrare atque cum Portugallensibus Olisiponem petivit.*

*Ceterum relationem suam Columbus scripsit Hispanice, Vesputius Italice; quas viri docti in Latinum statim verterunt, ut hominibus totius orbis paterent eorum inventiones. In libro nostro, qui totus est Latine scriptus, saepe difficile est scire quis quod capitulum scripserit vel in Latinum verterit. Nihilominus opus nos in eo tangit, quod eventus est proximum.*

NAVIGATIO CHRISTOPHORI COLUMBI, QUA  
MULTAS REGIONES HACTENUS ORBI INCOGNITAS  
INVENIT, INVENTASQUE HISPANIAE  
REX COLI IUSSIT ET FREQUENTARI.<sup>2</sup>

*Quomodo rex Hispaniarum dedit liburnicas duas Christophoro Columbo.*



Utaque Christophorus natione Italicus, patria Genuensis, gente Columba, vir erat procera statura, colore ad rubedinem inclinato, facie oblonga. Is cum diutius in regia regis Hispaniarum invictissimi diversatus fuisset, animum induxit, ut hactenus inaccessas orbis partes perquam diligenter peragraret. Petiit propterea rursus et iterum instantissime a rege memorato, ut voto suo tam pio non deesset, futurum sibi et toti Hispaniae decus praeclarum adseverabat, si sua opera et impensa novas inaccessasque regiones nactus esset. Et ad id opus navigandi ultro se offerebat, nam pollicebatur plures posse nancisci in occidente insulas, quae ad usum, immo ad delicias mortalium minime forent ineptae, et imprimis in eis insulis quae conterminae sunt Indiae, inveniri posse arbitrabatur baccas, id est uniones, lapidesque pretiosos fore omne genus necnon aromata omnifariam, auri que plurimum.

Haec meditantem rex et regina identidem derisere, utpote cogitantem inania et pensi nullius, vertebaturque hic sermo prope in fabellam. Tan-

dem peractis annis octo, insistente adhuc Columbo, coepit rex his sermonibus aures praestare attentiores, decrevitque post multa experiri viri ingenium; propterea in effectum huius celebris instituti, iussit liburnicam unam et celoces duas omni genere annonae armamentorumque communiti; quibus expeditis, prima Septembris luce 1492 solvit ab Hispanis litoribus, et diu optatum iter aggressus est.

*De insulis compertis a Columbo viro acerrimo.* Itaque solvit a Gadibus iter faciens versus insulas Fortunatas, quas nunc Hispani appellant Canarias, ob id quod canibus maxime abundant; antiqui vero Fortunatas dicebant. Hae enim absunt a Gadibus miliaribus 1200, prout ipsi computant suas leucas, dantes unicuique leucae 4 miliaria. Fortunatas propterea eas dixere ob aeris miram temperiem caelique clementiam; sunt in climate per Syenem versus meridiem. Eas incolunt ferinae gentes, quibus nulla est religio, nullius dei timor, nulla verecundia, utpote quae nudi incedunt usquequaque.

Eo Columbus concessit aquae nonnihil sumpturnus, ut vel inibi socii prius parumper conquiescerent, quam atrocioribus assuescerent laboribus; nam qui sulcant maria incomperta, his necesse est prope labores innumeros exantlare.

Solvens igitur illinc arabat maria, et per dies 33 totidemque noctes navigans versus occidentem,



nihil telluris umquam apparuit; tandem e specula quispiam insulas quasdam conspicatus est. Propius accedentes videre insulas sex, quarum duae erant vastissimae, eisque nomina indidit, alteram Hispanam, Ioannam alteram nuncupavit.

*De magnis insulis.* Ioannam non satis comperit habuere utrum esset insula vel ne; dum tamen eius latera legunt, audire innumeros avium concentus, et imprimis lusciniarum, quae densissimis nemoribus inerrabant, mense Novembri. Inibi etiam conspexere limpidissima flumina, eademque ad potandum suavissima, portus magnos celebresque. Et cum vento Choro navigarent, propecti sunt magis secus insulae litora, nusquam tamen ad calcem pervenere.

Cum igitur progressi fuissent fere milliaria 800 et nullum terminum adhuc comperissent, credere continentem esse; propterea decrevere gradum referre, impellente pelagi saevitia; nam malus, id est arbor navis, nutare incipiebat.

Convertit itaque navem ad orientem et mox devenere ad eam insulam, quae dicitur Hispana; et cum summe appeterent terram explorare quae ad Aquilonem vergebat, et iam ipsis terrae appropinquantibus, ratis maxima in scopulum quendam collisa est, adeo ut iam dehisceret; verum summergi nequivit ob planitiem saxi. Mox accurrunt cum cymbis viri celocis alterius, et socios e faucibus Neptuni eripuerunt fere moribundos.

Cum terram appulissent, conspecti sunt ab incolis eius insulae, qui protinus effuse fugerunt in nemora densissima, non aliter quam si fugacem leporem consecraretur canis, genus inauditum. Nostri tamen vestigia persequuntur fugientium et mulierem quandam corripuerunt, quam cum ad naves reduxissent, vino et obsoniis prope distentam et eleganter vestitam missam faciunt; nam ipsi nudi incedunt et humaniores ignorant delicias.

*De situ et moribus Hispanae insulae.* Quamprimum igitur haec mulier devenit ad suos satura et prope farta, cultuque insolito vestita decentissime, alii hac liberalitate adducti mox certatim catervatimque ad litus concurrunt, rati genus esse divinum; nam desiliebant in pelagus secum ferentes aurum, quod cum ollis testaceis vasisque vitreis permutabant; pro minima quaque re, etiam despicabili, aurum dabant. Exempli gratia, si quis dedisset frustum speculi confracti, protinus aurum consequatur.

Contracta igitur amicitia vigentibusque commerciis, nostri coepere diligentius eorum vitam et mores explorare, comperereque protinus eos regem habere. Propterea petentes mediterranea, hoc est interiora insulae, a rege eorum perquam honorifice sunt excepti.

Cum vero advesperavisset, edito signo de hora salutandae virginis, nostri genua plicabant, quos aemulabantur barbari itidem agentes. Ubi nostri et crucem servatoris trophaeum venerabantur,

eam et ipsi colebant.

Hi etiam ubi videre navem pessumdatam, certatim confluebant cum cymbis suis advehentes nostros et ab undabundi maris faucibus eripientes. Cymbas huiusmodi appellant *canoas*; quae ex sola cava arbore factas, non quidem ferro, sed cote praeacuta excavant; habent etiam longiores naves, id est liburnicas, octoginta remorum capaces.

Ferro carent omni; propterea nostri admirabantur, quoniam modo quirent domos construere, quas conspiciebant miro modo exstructas, nec non alia arte fabrefactas faberrime; verum cote, ut diximus, pro ferro utuntur.

Acceperunt etiam, referentibus amicis, non longe ab ea insula esse quosdam populos, qui carnibus vescerentur humanis. Idcirco ubi nos videre, crediderunt anthropophagos esse; ideo effusissime fugerunt. Canibales appellant ferinos populos, qui in cibatu homines habeant gratissimos. Hos nostri praeterierant, eos ad meridiem relinquentes.

*De Canibalarum moribus.* Igitur hi populi maestissime conquerebantur nobis de efferatis illorum moribus; nam aiebant eos in se non aliter saevire, quam tigrim vel leonem quempiam in mansuefacta animalia; horresco referens.

Impuberes, si qui corripuntur, exsectis testibus, saginant uti nos gallos gallinaceos, ut lautius eis vescantur. Puberes vero mox contrucidant; quibus exenteratis, illa comedunt recentia membrorumque partes extremas; cetera saliunt adservantque ut nos insitia et farcimina omnis generis<sup>3</sup>. Nam insitia fiunt ex sanguine aprino vel bubulo, aut ex carnibus tessellatim concisis; alii apexabo appellant; haud dubie est genus farciminis.

Mulieribus haud vescuntur, verum eas ad prolem, veluti nos gallinas ad ova, servant; si qua est anus, ea mancipii vicem gerit.

Propterea hae insulae, quas iam subegimus, ubi audiunt adventare hos efferatioris immanisque populos, actutum dant terga. Licet sagittis utantur, non sunt tamen tantarum virium, ut compescere eos queant; nam pauci complures fundunt, utputa centum decem profligant Canibali, nusquam comminus congregiuntur, fuga tantum sibi consulunt.

Nos nequivimus aliter intellegere, quos deos colant alios, quam solem et lunam caelumque. Mores vero aliarum insularum idcirco non referimus, quoniam ob angustiam temporis et interpretum penuriam de eis nihil comperti habuimus. ■

(1) *Novissima editio; prima editio 1532. Hervagius (Herwagen, + 1564), Helvetius editor, fuit Erasmi amicus.*

(2) *pp. 64 sqq.*

(3) *Si forte hunc textum inter cenam legitis, vobis bonam orexin exoptamus...*

# CHRISTUMFERENS COLUMBUS

(CARMEN AEMILI GOUFFAUX)  
SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

Nox erat. Effusus longe et sine sidere pontus  
puppe secabatur pavidam navisque magister,  
quo temptaret iter dubius, vada caeca legebat.  
Cuncta silent. Maeror tacitus tamen intus et ira  
anxietate calent: tot post superata pericla  
num spes ulla foret promissum attingere litus,  
num cursu ad patrios verso remeare Penates.  
Et iam torva minis ductorem nautica pubes  
impetit et iussis hostili obmurmurat ore.  
Ille autem: «O animos, socii, revocate labantes  
et contra vestram spem spe durate superna!  
Hactenus excussi saevis errastis in undis,  
iam rabiem maris et scopulos fregistis. An ergo  
vos ipsos frustra tantos tolerasse labores  
fas foret atque alium vestra redimere corona?  
O estote viri! Patriae perpendite fastus:  
tendimus (Europa procul) exornare tropaeis  
Hesperiae vexilla novum reseranda per orbem!  
Huc Deus ipse regit nos; quid timeatis inanes?  
A vosmet potius rebus servate secundis!  
Testor ego, coramque Deo, duce quo feror audax:  
tertia cum caelo vobis aurora resurget,  
proxima tellus erit placidaque sedebitis ora.»  
Sic ait et mulcens salientia corda Columbus  
ipse gubernaculo subit aptaque vela ministrat.  
At vix depulerat noctis ter lucifer umbras,  
ingentem a clavo vocem vigil intonat heros:  
«Eia procul, comites, procul hospita terra patescit!  
Nectite vela trabi, gnavi considite transtris  
et sponte ad ripam remis appellite navem.»  
Et fremitus plaususque sonant, atque agmine

facto

tellurem nautae longo clamore salutant.  
Tum pelago obvertunt proram fessaeque rudentem  
incipiunt aptare rati. Iam dente tenaci  
ancora mordet humum; tuto stat litore puppis.

Salve, laeta dies, cantu memoranda perenni,  
aurea qua primo nostras America carinas  
vidit et Europae blandis dedit oscula labris!  
Salve, magnanimum caput, insuperabile fama  
nomen et ingenii radiis signate Columbe!  
Te quoque nulla umquam memori sors eximet  
aevo,  
fulgida dum nectet gemmis America capillos

depictisque avium texet sua syrmatata pennis,  
ultima dum navis, combustis classibus, aequor  
accolet et sicco pelago se sistet arena!  
Te decuit siquidem dubias ivisse per undas,  
magne parens, Syrtisque maris calcasse protervi  
intrepide ante alios, detecto ut litore posses  
nomini et Hesperio Christi conectere nomen  
et sociare cruci patriae vexilla triumphii!  
Sive coronatum victrici tempora lauro  
teque vehi aspiciam per regia tecta quadrigis,  
sive triumphali reducem splendore per urbes  
te cernam et plausus populi captare faventis,  
sive sub invidiae videam te stare flagellis  
et suspirantem tua tendere lumina sursum  
(lumina, nam laceros detorquent vincula lacertos),  
ast semper sublimis amor pietatis avitae  
per mare, per terras, per tot discrimina sortis  
te premit igne sacro; manet ultima meta laborum  
auspice caelesti patrio decus addere regno  
scilicet et, pulsus tenebris quibus ante latebant,  
fraterno gremio populos fulcire redemptos.  
His tibi propositis an adhuc potuisset habendi  
foeda fames temerare fidem an maculare coronam?  
Nequaquam. Livor rosit te felle voraci  
luridus et saevo tinxit tua colla veneno.  
Quid iuvat? Est meriti spatium quod nulla furentis  
invidiae mensura capit neque acumine tanget.

Iam quater effulsit centum vulgata per annos  
fama tua, annorum cursu nec trita fatiscet.  
Te genuit Genua ast totus te possidet orbis:  
te celebrant Italus, Gallus, Germanus, Iberus,  
Hesperisque chori resonant et ad ultima terrae  
tollitur ingenii claro diademate nomen  
immortale. Ruit fulgore tropaea superba  
quae usquam famam cecinit sibi bellica virtus.  
Dicitur ad Gangem Macedo madefacta cruore  
arma ferox cruda posuisse tyrannide victor  
seque Deum, dum praedo fuit, sacrasse per orbem;  
dicitur et tonitruo divini Caesaris olim  
Romana innumeras trivisse potentia gentes  
et pavidas gladio domitum impetisse catervas;  
anne dein mundo sortis melioris origo  
prodiit? Heu nec adhuc iuvat haec meminisse: quid  
ad nos





pertigit excidiis istis, quid permanet ultra  
ex tot victorum, falso qui nomine terram  
servitii pressere iugo servosque sub ense  
sanguineo tenuere suo? Vix umbra superstes  
ipsorumque operum quoque iam periire ruinae!  
Tu vero, spoliis aliis indute Columbe,  
Oceani populum devicta nocte tulisti  
in fratrem nobis natum Europaeque sororem.  
Tu morum face pacificis bellator in armis  
non mortem ast vitam tribuisti in praemia victo.  
Heu sacras super exuvias malesuada cupido  
si caedem posthac vomuit sparsitque cruorem,  
nec te latronum tamen infecere rapinae,  
nec tibi dedecori cessere piacula vulgi:  
gloria te manibus fidei sine labe coronat  
et tua perpetuis nostra est victoria palmis.  
Fama est te tumulo tecum in monumenta futuri,  
quae quondam strinxere manus, posuisse

catenas;  
surge et confracto victricia vincla sepulchro  
fac resonare! Doce mundum haec tua stigmata  
pandens  
quid valet ingenium fidei, quid amore potest cor,  
ah doce et invidiae quid lingua rependere amanti  
assolet! Ipsa autem tabo exsaturata putrescet,  
rite tibi donec tollemus ad aethera laudes:  
•Eia age, magne virum, gratum claresce per aevum  
angellicisque choris caelesti admixtus in aula  
immortale iubar meritis per saecula vivas!•

\*  
\* \*

Christophorum Columbum Americae exploratorem versibus Latinis non semel esse celebratum si quis forte est ignarus, eorundem versuum nescius esse vix poterit cum annus hic novo ab orbe invento sese circumegerit semimillesimus. Commentationes enim Columbianae, imminente die illo anniversario et acto (quem alii festum, infestum alii volunt), frequentiores in lucem edentur. Data ergo opera penitius illustrabuntur cumprimis ea carmina, quae Laurentius Gambaro, Iulius Caesar Stella, Ubertinus Carrara Itali de Columbo divulgaverunt<sup>1</sup>.

Nos vero legentium animos a celeberrimis eis carminibus ad poemation quoddam fere ignotum paulisper revocare malumus, quod centum abhinc annos est pactum Leonique XIII P.M. dicatum<sup>2</sup>. Nam, si locum quendam clarissimum ex Hierosolymis Liberatis, Torquati Taxi carmine epico, excerptum excludimus, quem Angelus Sommariva, praeceptor Genuensis, eo ipso anno iure Latino donavit<sup>3</sup>, nulli (quantum scimus) reperiun-

tur versus, quod ad Columbum in litteris Latinis obvium pertinet, hisce recentiores.

Carminis autem conditor parochus est Hallis ex urbe Flandriae oriundus, cui nomen Aemilius Gouffaux (1840-1924)<sup>4</sup>, poeta elegans, qui praeter carmina pia validissimum de priore bello mundano poema Sapphicum in lucem emisit. Ipsius Columbus ad cetera eiusmodi carmina proxime accedit, quippe quem Aeneae cuidam redivivo assimulaverit vates. ■

- (1) Cfr. e.g. H. Wiegand, "Antiquitas superata: in carminis epici Ubertini Carrarae (1642-1716), cuius index est Columbus, librum sextum observationes selectae", in: Acta conventus neolatini Torontonensis... 1988, edd. A. Dalzell e.a. (medieval & renaissance texts & studies, 86) (Binghamton, 1991), pp. 811-822.
- (2) Cursus vitae mortalis. Christumferens Columbus necnon Meditatio silvae Soniacae. Flosculi tres Leoni PP XIII oblatis (Holarit, 1893), pp. 25-29.
- (3) Torquati Tassi De Christophoro Colombo praeconium Latinis versibus heroicis reddere expertus est Angelus Sommariva (Genuae, 1892); cfr. G. Senis, "Colombo in un epitalamio dell' "800", in Columbeis II (Pubblicazioni del D.A.R.FI.CL.ET., N.S., 107) (Genuae, 1987), pp. 361-363. Eodem anno Graece quoque est dilaudatus Columbus: cfr. A. Antonioni, "Una poesia colombiana di Costantino Triantafillis", Miscellanea Marciana, 2-4 (1987-1989), 167-169.
- (4) Cfr. D. Sacré, "Gezelle in het Latijn. Een overzicht", Gezelliana. Kroniek van de Gezellestudie, 1 (1989), 60-78; D. Sacré, "Vlaanderens laatste Latijnse dichter? Kennismaking met Emiel Gouffaux (1840-1924)", Kleio, N.R. 21 (1991-1992), 36-47.

# MEMORIA ANDREAE HOFER

## OMNES EUROPAEOS DOCET

SCRIPSIT HENRICUS REINHARDT

Res olim gestae et ab aliis pro ludis peractis, ab aliis pro antiquariorum nugis habitae aliquando reviviscunt. Tunc novum momentum publicum assumere possunt haud raro in maximas urgentissimasque quaestiones politicas intrantes.

Haec praeteriti natura non omnino mortua ad oculos mentis meae nuper candide proposita est, cum, breves ferias in pago Meranensi agens, domum natalem Andreae Hofer, herois principalis Tirolensium, inviserem. Nam eodem puncto temporis mihi assiluit, ut ita loquar, haec mira similitudo, quae conspicitur vicens inter Tiroliae libertatem illis temporibus Napoleonicis recuperandam et Croatiae, Sloveniae, Lituaniae libertatem his diebus nostris a quibusdam dominis despoticis vere vindicandam. Multa tunc animo concepi, quorum pauca hac symbola communicabo. Luce enim clarius evidetur hodierna condicione Europae, qua de libertate denuo supplicia sumuntur ac proelia satis crudelia militantium et miseria profugorum doloresque cuiusvis generis fiunt, inde ab exemplis praestantioribus historicis multum disci posse, quod ad nostrum habitum erga libertatis vindicadores pertinebit. Namque adhuc inter molliem atque commoditatem nostram plane obstupescimus et omni sensu sermoneque capti contemplamur hos istos eventus, mox autem, ut puto, resipiscentes ac sermone apto instructi illis libertatis vindicatoribus debemus responsum reddere. Nonne enim et nostra res agitur, cum alicubi in Europa de libertate certatur?

Tamen aliquid adnotem. Res olim gestae non simpliciter repetuntur, quia saecula inter se maxime gravissimeque discrepare solent. Ergo hanc symbolam non propono benevolis legentibus, ut praecepta quaedam culinaria praecipitanter ex materia peregrina transsumant in ollam patellamque suam, sed ut probe discant, quid inde transsumi possit aut fortasse debeat.

Itaque totus tractatus dispertitur in partes duas, quarum prima ipsam historiam Andreae Hofer exhibet, altera historiam doctrinam explanationemque praebet.<sup>1</sup>

\*  
\* \*

Andreas Hofer natus est die 22 mensis Novem-

bris anno 1767 in deversorio «Ad arenam», quod circiter mille passibus distat a vico Sancti Leonhardi, in Valle Passeria prope Meranum. Ibi exercuerant Andreae antenati iam inde ab ineunte saeculo septimo decimo negotium cauponum «Ad arenam», sic appellatorum quia eorum caupona satis magna ducentis fere passibus distat vel potius adiacet ad ripam Passerae fluvii, qui magnam copiam arenae canae facit. In idem negotium Andreas successit, qui etiam negotiationem vinariam et quaestum mangonicum usque ad Italiae urbes exercere coepit. Ita non infimo loco natus erat, intra limites communis egestatis illius regionis temporisque fortunatus, ab hominum commercio non nimis remotus et ideo affabilis, ob altam quietem pagi sui bene tranquilleque moratus et apud omnes propter consilii sui rectitudinem gratus acceptusque erat.

Habitu corporis erat brevis et obesus, amplo pectore, egregio colore genisque numquam non rubentibus, spissa et promissa barba nigra; saepe subridebat, sed, quo erat ingenio pavido et molli ad offensas capiendas, saepe etiam sollicitus conticuit. Cum homines bene expertus esset, paulum diffidenter se gessit. Planis autem et numquam fraudulentis verbis utebatur, et eius tota dictio atque locutio a malitia abhorruit. Denique viva voluntate sua religioni catholicae se obligavit, cuius praecepta non sine cogitatione, sed puerili erga Deum confidentia amplectebatur. In museo Hoferiano, quod in pristino stabulo equino iuxta tabernam nunc instructum est, adhuc asservatur Missale Romanum eleganter excusum, quod in ipsa familia diu piissimeque asservatum est, et ultima littera Andreae cum ad uxorem tum ad amicum suum familiarissimum, quae epistulae prorsus nos commovere possunt prae recto ac virili modo credendi et prae tenera quadam fragillique ratione sentiendi.

Talis fuit vir, qui, cum a vallensibus suis civibus delegatus esset Oenipontem, anno 1790 comitis ordinum provincialium tumultuariis interfuit. Iam tunc eius firma obligatio et reverentia erga Caesarem totamque Domum Augustam Austriae magis magisque concreverit atque conspicua facta sit.

Cum anno 1796 ortum esset bellum, Andreas noster praefuit cohorti sclopetariorum, cuius virtutes militares innotuerunt. Cum denique, post annum 1806, Tirolenses subditi Bavarorum facti essent ac deinceps machinationibus argentariis dubiis, tributis novis, restrictionibus in religione catholica exercenda, conscriptionibus militum inexorabilibus, praesertim vero inopia flagellarentur, anno 1808 Hofer aliique cives sui se Vindobonam contulerunt, ut apud sedem Caesaris remedia patriae male mulcatae acciperent.

Nos hodierni vix imaginari possumus, quanta ira vel etiam desperatio Tirolensium fuerit, qui, postquam multa saecula fuerant liberi cives armigeri cum comitiis libere electis, tunc extemplo in servitutem adeo tristem redacti sunt, ut ipsius nomen patriae ex omnibus inscriptionibus publicis extingueretur, quin etiam illi Tirolenses, qui se esse Tirolenses faterentur, a consanguineis Bavaris capitis damnarentur!

Ex altera parte Vindobona politica timore Napoleonis, hostis adhuc victoris, debilitata erat et insuper verebatur, ne, si nimis clare adversus placita illuministarum progrediretur, gratiam mentis Francogallicae in ipsius Austriae hominibus auget, ita autem compagem recentis Imperii Caesarum Austriacorum invita subverteret. Hanc ob causam Andreas Hofer apud aulam Caesaream plurimos sensus amicitiae, plurima signa sympathiae recepit, nullam tamen promissionem copiarum aut pecuniarum bellicarum mittendarum. Nihilominus a nobili barone de Hormayr consilium callide excogitatum accepit, quo effici potuit, ut Tirolenses ipsi iugum servitutis sibi impositae abscuterent.

Domi tandem Andreas noster illud consilium caute sed intentis viribus in rem convertit. Cunctis enim praeparatis die 8 mensis Aprilis anno 1809 omnes Tirolenses publice proclamavit, ut adversus tyrannos surgerent. Triduo postea, id est die 11 mensis Aprilis, Bavaros retro euntes iuxta Vipitenum adgressus ita vicit, ut iam die 14 eiusdem mensis exercitus regulares Austriacos Oenipontem reduceret. At infelicibus actionibus militaribus a Carolo Archiduce Austriae in Bavaria expletis et Napoleone prorsus in viciniam Vindobonae progresso Tirolum, hostibus Francogallicis id expostulantibus, subito in Bavarorum dicionem recidit.

Hofer autem, nescio quibus animi subsidiis reflectus, duobus proeliis in monte Iselio commissis (nempe diebus 25 et 29 mensis Maii) Bavaros devicit ac ultra Tirolis fines depulit. Postridie alterius victoriae Oenipontem recuperavit, ab agricolis Tirolensibus palam dux in bello creatus, a Caesare in ordinem nobilitatis evectus est. Nec iniuria quidem.

Nam refert aliquantulum de illorum temporum

proeliis enarrare. Pugnabatur enim viritum, sine ulla lorica, et quamvis huic rationi dimicandi et pulveris magna effusio et incommoditas illorum sclopetorum iterum iterumque idque lentius telis splendorem aliquam partem aspectus carnificinae ademerit, res satis cruentata mansit; ceterum centuriones inter singulos viros, qui plerumque disiuncta acie proeliabantur, et inter turmas suas coram hoste proxime instante discurrere debebant, quod eos paene in maius discrimen traxit quam ipsos milites. Praeterea scilicet, maxime ex parte Bavarorum, bombardae adhibebantur et incendia, tectae foveae aliaque genera horroris ignibus sclopetorum astruebantur, ita ut proelia illorum temporum reapse essent horrida.

Verumtamen, timore mortis posthabito, vel singuli clerici praesertim ex ordine religioso Capucinatorum pugnatoribus intermisciebantur, quibus animum facerent, et virgines vinariae inveniebantur, quae infirmos sauciosque rubro vino Tirolensi subito reficerent. Sic illa proelia ab hominibus aegre obiri potuerunt. Itaque honores Andreae Hofer atque suis tum tributis iure merito acciderunt.

Verum versatilis ac fugax domina fortuna est. Paucis septimanis post triumphum Oenipontanum, die 12 mensis Iulii semper eodem anno 1809, proelium Vagramense eo perduxit, ut inter Napoleonem et Caesarem Imperium Austriacum infelix illa pax pangeretur, cuius vigore Tirolum rursus Bavaris esset tradendum. Iamque Bavarorum, Francogallorum, Saxonum copiae irruperunt, quorum numerus fere quadraginta milia virorum fecit.

Contra exercitum hostium tam formidabilem Andreas Hofer in omnibus patriae suae vallibus universum populum evocavit. Ipse cum aliquibus paucis milibus delectorum pugnatorum hostes adgressus die 13 mensis Augusti tertiam victoriam ad montem Iselum deportavit; triduo posthac urbs Oenipontana liberata est. Victoriis tam inopinatis quam mirificis perfectis Hofer a Caesare Augusto renuntiatus est Summus Praefectus Tirolis, qui eandem regionem et in pace et in bello regeret.

Adiutus a barone Hormayr, sed omnino suo Marte Andreas Hofer rebus civilibus militaribusque Tirolensibus in rectum ordinem reducendis providit. Primum mandatum administrationis suae imperavit, ut cuncta bona pecuniaeque possessoribus legitimis erepta et aut ad externos vendita aut in Tirolis ipso alibi reposita pristinis legitimisque possessoribus redderentur. Deinde iussit universum clerum Deo publicas laudes atque gratias sollemnes agere, quod patriam civibus restituerit; simul iussit et auctoritates clericorum et capita administrationum profanarum omni

cura diligentiaque id studere, ut religio catholica in cuncta iura pristina redintegraretur. (Nam Bavari, placitis illuminismi item ac odio Tirolensium correpti, in tota regione processiones sacras fieri vetuerant, pastores animarum colaphis et fustibus conciderant, numerum dierum festorum acerime resciderant, ecclesias inter cantica obscaena destruxerant et alia huiusmodi.)

Porro pacem matrimonialem, quae temporibus tam turbidis ac rudibus ubique vallium damnum grave ceperat, vigilanter recomponere studebat, petulantiores modos vestes muliebres gerendi vehementer interdicebat ideoque patriae suae probas medicinas administravit. Inopia recessit, pax animorum tardius succrevit, sed sensibiliter et ea rediit.

His ergo duobus mensibus anni 1809, quibus Hofer placide regnavit, magis quam in bello indolem suam haud mediocrem commonstravit. A nemine nullaque re corrupti, res inauditas quasi praestigias fraudatorum evitare, sobrie consulti- que agere neque quemquam ex industria offendere - his fere principis boni regiminis noster stetit et id tam fideliter, ut apud proceres infimosque nomine «boni» appellari consuesceret.

At, e contrario, nunc temporis ob talem rationem politicam, quae videri potest nimis timida vel conservativa fuisse, facile reprehenditur. Tamen Andreas Hofer recte gubernavit, non ignorans libertati recuperandae consanandae id unum convenire, quod dicamus evolutionem rerum civilium naturali modo cauto sese explicantem. Quilibet actus «audacter novatorius», quem huius saeculi historici emunctae naris dilaudarent, re vera totum opus regenerationis Tirolensis consumpsisset. Hofer quidem, quippe qui non solum rudis ductor consurrectionis popularis fuerit, sed etiam iustus et aequabilis restitutor pacis verae, talia quodammodo sensit. Nec solus ille. Ab ipso Caesare Augusto torque aureo honoris gratiaeque distinctus fruebatur ex parte omnium fere politicorum Vindobonensium aestimatione et comprobatione solida.

Fortuna autem rotam suam porro volvit. Die 14 mensis Octobris contingit diplomaticis aulicis cum Francogallicis Pacem Vindobonensem inire, qua - scilicet pacta impunitate omnium captorum Tirolensium - Tirolum in perpetuum manibus hostium concedendum esse decernitur. Andreas Hofer, denuo sibimet ipsi (solique Deo, ut firmiter credebat) relictus, post brevem et parum ordinatam pugnam clademque suorum die 2 mensis Novembris - quo Ecclesia catholica meminisse solet mortis et omnium mortuorum - paene attonitus se subdit hostibus; die 7 eiusdem mensis nuntium pacis ad universum populum emittit. Attamen res confunduntur: fictis enim nuntiis de recentibus

victoriis Austriacis noster iam irritatur; insolentibus monitionibus quorundam amicorum, qui, mente tromocratica incensi, continuum bellum belli causa adamarunt, in dies magis perturbatur et postremo, eorundem armis minisque aperte coactus, Hofer noster eo perducitur, ut die 12 illius mensis cives suos Venostas et ad Oenum superiorem incolentes in pugnam fere desperabundorum evocet. Nihil vero adversus hostes efficit. Ipse cogitur, ut una cum uxore filioque confugiat in tugurium longinquum, quod medio hieme sub nivibus vix invenitur et in angulo montano satis remotum esse videtur. Integros menses duos illic moratur.

Denique certus quidam vir Tirolensis mala fama insignis, nomine Raffl, eum pro sacculo nummorum turmis specialibus Francogallorum prodit. Andreas Hofer die 27 mensis Ianuarii anno 1810 a mercenariis Italicis capitur, ad sanguinis effusionem tractatur, ferreis vinculis alligatus inde a patria Mantuam deportatur, ubi iudicum bellicorum collegium eum interrogat; quod ilico discors dubitat, postremo tamen, proprio personalique imperio Napoleonis parens, Hoferum capitis damnat. Primis igitur horis matutinis die 20 mensis Februarii anno 1810 Andreas epistulas valedictorias ad familiarissimos sibi dirigit, tunc ad supplicii locum educitur; fortiter recusat, ne oculi sibi obligentur, et, id quod plus quam fortitudo est, ipse imperat interfectores: «Ignem date!» Nec prior nisi tertius decimus ictus ignivomus sclopetorum Mantuanorum heroi vitam adimit.

Num eius supplicium frustra datum est? Minime quidem. Tirolum animum suum reppererat et in se collectum res futuras exspectavit. Nec perperam. Penes hostes dictatura paucos annos permansit. Iam anno 1814 tota provincia, quae interea in partes tres (nempe Bavaricam, Italicam, Illyricam) discerpta erat, et tamen voluntate una eademque supervixerat, cum Caesareo Imperio Austriaco rursus coniuncta est (titulo autem regionis autonomae specialiterque administrandae).

Die 28 mensis Septembris anno 1823 ossa Andreae Hofer, martyris pro libertate Tirolensium et pro identitate spiritus proprie Tirolensis, conductu maxime sollemni inde a Mantua per totam patriam usque in Oenipontanam Ecclesiam Aulicam translata sunt. Caesar interim ipse curavit, ut familia viri meritissimi pro iactura totius rei familiaris necnon pro doloribus persecutionis inimicae iustam remunerationem reciperet; diploma nobilitatis autem, quod heroi anno 1809 de iure nobilitario conferendum erat, tandem aliquando die 26 mensis Ianuarii anno 1818 Vindobonae calligraphice exscriptum est. ■

(1) *Primam partem in hoc fasciculo, alteram in fasciculo 47 legetis.*

# DE MUSEO COLONIENSI

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

(Ultima pars)

CELERINUS



Ecce unum e pulcherrimis lapidibus sepulcralibus secundi p.C.n. saeculi ineuntis Musei Coloniensis, quorum multi in provinciis imperii Romani sunt reperti. Attamen Romani hoc genus figurationis non invenerunt. Prototypus enim huius generis operis caelati provenit e Dacia, e Thracia, e Graecia septentrionali.

Octavo ac septimo a.C.n.

saeculis in illis regionibus paeninsulae Balcanicae lapides sepulcrales imaginibus heroum divinorum cenantium exornabantur.

Temporibus autem Hellenismi, i.e. inde a tertio a.C.n. saeculo, illa figuratio transmutata quodammodo profanata est, i.e. repraesentatio divinorum cenantium ad mortales quoque aequae ac heroes epulis delectatos pertinuit imaginibus heroum ergo tali modo sine ulla obligatione adoptatis.

Multi Thraces Graeci Daci militantes in exercitu Romano, speciatim in alis auxiliorum, in provinciis Germanicis quoque tales lapides sepulcrales ponere solebant.

In decursu annorum denique Romani quoque illam consuetudinem, i.e. talem figurationem - transfigurata - adoptaverunt.

Lapides talis generis testimonio nobis sunt earum opinionum, quas homines illorum temporum de vita cottidiana praeterita et - forsitan - futura fingebant.

Valde dolendum est lapidem adeo esse laesum. Figuratio talis imaginis in omnibus fere lapidi-

bus sepulcralibus huius generis eadem est: epulum funebre, i.e. cena ferialis in cuius parte centrali virum videmus vere Romanum toga indutum cuius vultum in hoc lapide nimis laesum esse dolendum est. In lectulo cubans brachio sinistro culcitram lectici innititur, manu sinistra mappulam tenens. Dextra cibos ori affert. Spondae pedibus tornatis ornatae culcitra imposita est stragulo protecta, ne cibis maculetur.

Ante lectum mensam videmus tripodem - mensis tripodibus magnum est emolumentum quia numquam vacillant. Cognoscere non possumus, e qua materia sint confecta illa tria vasa in mensa posita, e.g. ille hyalus vinarius, num ex argilla sit confectus an vitreus. Duo vasa generatim cibis solidis erant destinata, tertium erat vinarium.

Pedes tabulae in palmas desinunt leonum. Leo apud Romanos insigne roboris erat audaciaeque. Insuper leo membraque leonis malum arcere dicebantur.

Viris solis inter epula in lecto triclinari mensae accumbere licebat. Uxores autem liberique in cathedris vel scabellis sedere solebant servis iuxta vel post dominum stantibus. Uxores non congruebat mensae accumbere inter epulas.

Dominus sinistro nitens brachio una tantum manu uti potest, i.e. cibus manu dextra ori est afferendus. Furcae sive furcellae illis temporibus nondum erant in usu, servorum ergo erat cibus solidos in catinis cultro minutatim concidere in parvas partes, ut offatim ori possent afferri.

Servi, quia res, in opere caelato lapidum parvi repraesentati tamquam homunculi, nani vas et truellum et manutergium convivis ad manus lavandas offerentes modesti in angulo stant iussaque exspectant dominorum. Altera manu cultrum tenent, altera cyathum sive simpulum sive trullam. Trulla genus est vasis apti ad hauriendum vinum e cantharo ansato.

Uxor Celerini in cathedra sedet iuncea e vimine contexta alto reclinatorio. Neque enim decuit mulieres accumbere mensae inter cenam. Pulchra imago est illius feminae, quamvis dolendum sit faciem paululum esse detritam. Tunica muliebri induta corbem sive sportulam inter manus tenet fructibus - forsitan recentibus pomis - repletam, ecce mensas secundas. «Ab ovo usque ad malum»: Romani in initio cenae ovum comedere, mensis

secundis e.g. malis epulum finire solebant.

Sub pedibus uxoris pulvinum vel scabellum - sive quia pavimentum nimis frigidum sive quia crura uxoris curtiora, opus erat pulvino.

Quamvis caput nimis sit laesum, quaedam pars inferior cervicis superest, ita ut tempus liceat ascribi lapidi funerali. Agitur de oppexu in gradus formato ab uxoribus Traiano imperante permagni aestimato: inauguratus enim erat a Traiani uxore. Cum Romae novus imperator eligebatur, novi nummi cudebantur cum capite imperatoris, itemque nummi cum imagine imperatricis. Magni momenti oppexus erat in imagine imperatricis: mulieres puellaeque toto orbe terrarum novo cum nummo in manu ad tonstricem currere dicentes «mihi quoque hunc novum oppexum, quaeso». Tali modo ergo oppexu imperatricis in nummis repraesentato interdum lapidibus sepulcralibus tempus ascribi potest.

Ante cathedram uxoris calathum cognoscimus fusi lanaeque repletum. Matutino tempore domina manu libram duarum lanarum tenens servis convocatis in altera lance quoddam plumbi pondus, in altera lance idem lanae pondus ponebat. Illa lanae caprinae aut ovilis copia pensum nominabatur, quod domina unicuique servae impertire solebat. Servarum erat fuso iuvante fila ex eo lanae pondere torquere - «lanam tractare fuso» ut ait poeta.

Pulchrum est exemplum lanificii in familia Romana. Apud Ovidium legimus: «... tum ducunt lanas, aut stamina pollice versant» (Met. 4,34). Serva fuso sinistra versat manu, dextra filum net. Fusi aenei erant vel ex ossibus confecti. Colus instrumentum est, cui lanae pensum imponitur; fuso fila deducuntur. In quodam sepulcro mulieris Romanae titulus est: «casta fuit - domum servavit - lanam fecit».

Res vitae communis quoque opere caelato in lapidibus sepulcralibus exsculptae ad defunctorum virtutes naturamque se referunt; viri non raro volumen manu tenent velut Publius ille in Museo Coloniensi; tales viri ergo «eruditi» ut ita dicam nobis adducuntur.

Industria ergo Marciae Proculae, Celerini uxoris, calathum indicatur iuxta cathedramposito. Fusi et calathus et lana insignia dignitatis quoque sunt matris familiae Romanae.

Imagines speculorum, balsamatorum, pectinum, flaconum etc. de pulchritudine nos monent feminae.

Tales imagines funditus se referunt ad vitam terrestrem hic peractam opereque caelato elatam. De vita post mortem nil enuntiant.

Inspiciamus nunc titulum. MARCUS VALERIUS CELERINUS: ecce nomen illius viri vere Romani cui tria erant nomina secundum illud ius trium nominum. Exempla: Gaius Iulius Caesar, Marcus Tullius Cicero.

Oriundus erat ex oppido cui nomen erat ASTI-

GI, cui hodiernis diebus nomen est Ecija, in Hispania situm in provincia Baetica, cui nostra aetate nomen est Andalucia.

Hispanus ergo erat natione. CIVEM AGRIPPINENSEM se significat sive describit. VETERANUS erat LEGIONIS DECIMAE GEMINAE PIAE FIDELIS, quae Noviomagi stationem habebat in Germania Inferiore.

Legio Romana generatim quinque erat milium quingentorum militum. Legio gemina quae dicebatur ex undecim vel duodecim constabat milibus militum, i.e. interdum e duabus legionibus unitis. Pia fidelis: appellatio honorifica erat sive cognomen legioni decimae ab imperatore Domitiano anno p.C.n. 89 honori datum quia in seditione legionum Germaniae Superioris L. Antonio Saturnino proconsule auctore illa legio Domitiano fidem servavit. Domitiano autem anno 96 occiso damnationeque memoriae pronuntiata cognomen «Domitiana» sublatum est.

Anno 70 p.C.n. legio II adiutrix stationem habebat Batavoduri; vere autem anni 71 in Britanniam translata est. Eodem tempore legio X Harenatio (Kleve-Rindern) Noviomagum est missa, forsitan legionis II locum successit.

Legio X, quae ex omnibus legionibus Caesaris maxime cordi fuerat, anno p.C.n. 71 ex Hispania in Germaniam Inferiorem translata ad debellandos Batavos anno 104 p.C.n. e Germania in Pannoniam est missa (Aquincum). E multis lapidibus Noviomagi repertis elucet milites illius legionis e regionibus Galliae cisalpiniae, meridionalis ac ex Hispania septentrionali conscriptos esse, insuper e quibusdam paeninsulae Balcanicae partibus.

Si Marcus Valerius Celerinus anno p.C.n. 71 miles voluntarius viginti annos natus in Hispania in illam legionem se ascripsit, post militiam viginti annorum anno nonagesimo secundo dimissus gratificationem imperatoris accepit: tredecim stipendiorum annuorum. Tum cum uxore Coloniā Claudiam se contulit, ubi civitas iis est data. Si sexaginta annos vixit, anno centesimo duodecimo mortem obiit. Tum temporis Traianus erat imperator, cuius coniux illum oppexum inauguraverat. Tali modo igitur lapis certo tempori ascribi potest.

Ceterum apud Romanos haec erat consuetudo: si qua legio Romana transferenda erat ad novam stationem, ii milites, qui statutam aetatem assecuti erant, ante tempus dimitti solebant. Celerinus ergo - forsitan - anno p.C.n. 104 dimissus est eodemque tempore ei licuit Marciam Proculam suam in matrimonium ducere.

Speramus, carissima lectrix et carissime lector, te quoque illud Museum Romano-Germanicum Coloniense aliquando visitaturam - visitaturum - esse. Multa addisces de vita cultuque humano civilique hominum antiquitatis Romanae in illa Europae urbe, quae per tot saecula caput erat provinciae Germaniae Inferioris. ■

## DE NOVIS LIBRIS

**Metamorphoses. Carmina poetarum recentiorum in Latinum vertit Paul(us) Claes (NL - 8478 HE Sonnega (Regullerenpers, Pieter Stuyvesantweg 55), 1991)**

Hunc libellum in manus ne sumpseris,  
ni animum ab omni semotum cura attuleris;  
hunc libellum si manu lenta, libera mente legeris,  
vix positum resumes, castae denuo delicias explicabis Veneris.

Interprete Latino Paulo Claes, viro litterarum tam nostratum quam antiquarum admodum perito, carmina XXIV ex optima notae poetis Germanis, Francogallis, Lusitanis, Belgicis et Batavis, Anglicis et Americanis excerpta, additis versibus primigeniis, Latine proponuntur. Mirum dictu, ut haec omnia ille verterit fideliter, qui non verbum reddiderit pro verbo, sed emendatae, ornatae verique Latinae consuluerit orationi subtilis verborum, metrorum, rhythmorum iudex. Itaque, cum de Sappho esset carmen, Sapphica cepit, cum Vidonis Gezelle esset carmen quoddam vertendum, et syllabarum servavit numerum et assonantias in Latinum transtulit. Ab uno omnes; cum Goetheanam illius interpretationem legissem eandemque cum ceteris contulissem (cf. C.L. Weitzel,

"Goethei carmen celeberrimum atque consideratissimum Latine redditum et Graece", in Voce Latina, 1969, lib. 1, pp. 2-9), huic versioni palmam deferendam censui; erat enim huiusmodi:

In summis montibus  
Requies,  
Vix in frondibus  
Conspicies  
Ullam animam.  
Silent volucres in saltu.  
Morare, iam  
Quiesces et tu.

Reliqua huic exemplo paria esse, lector, mihi credas; quorum nonnulla eo magis admirabere, quo sunt recentiora - atque ob id ipsum non ita facile Latinis donantur vestibus. In distichis autem et hexametris duriusculi offenduntur versus; iidem vero tam pauci, ut syllabarum auceps esse iure dicerer, si his insisterem. Prioris editionis exempla divendita esse suspicor; at denuo libellus sub prelo iacet; exempla petantur ab editore Sonnegensi. ■

Theodoricus Sacré

---

## ITERUM DE OLISIPONE

*Tandem aliquando ecce textus, qui pertinet ad primam imaginem fasciculi 45; agebatur, si recordamini, de terrae motu quo Olisipo deleta est. Sub imagine, quam ante duos menses exhibuimus, legitur hoc:*

"Lisabona magnificentissima regia sedes Portugalliae et florentissimum emporium ad ostia Tagi situm aeri incisum per Matth. Seutter, S. Caes. Maj. Geogr. Aug. Vindel.

Olysippo corona regni Lusitaniae, sedes regis fidelissimi, amplitudine et pulchritudine templorum, palatiorum, castellorum, aedificiorum inter praecipua Europae ornamenta numerata, infelici et tragica eversione kalendis Novembris anni 1755 tota fere deleta est, deliciaeque gentis in lamenta et eiulationes conversae sunt. Hora enim nona matutina, cum incolarum pars in festo OO.SS. sacris interesset, sudo prius et ridente caelo, procella primo horrendo impetu omnia conquassans, instantem terrae motum annuntiavit, Tagus urbem affluens miro et insolito modo intumescere, frendere autem elementa coepere omnia.

Mox excussa ipsa aedium et templorum fundamenta, primoque impetu repagula disici omnia visa sunt. Excitati homines cum terrore consternati de fuga essent solliciti, corruentium aedificiorum mole oppressi, pars incredibili pulvere a ventis concitato suffocati, et ultra quinquaginta hominum milia miserando fato enecati sunt.

Recruduit paulo post terrae commotio, vehementior prima, quae ne stare quidem in terra hominibus permisit, et cuncta evertit. Tandem flamma quoque ex ruinis prorumpens horribili incendio quae superfuere omnia vastavit. Rex cum familia divina providentia tectus Bethlehemi in proxima villa salvus evasit, reliqui in patentes campos effusi et frigore, horrore omniumque rerum inopia pressi, vitam trahere ipsa morte tristiore coacti sunt, terrae motibus subinde furentibus, quibus omnes opulentissimae urbis thesauri inter ruinas sepulti sunt." ■

# LATINE LOQUI...



## UBI CONDISCATUR

*"De publicis scholae exercitationibus.*

*(...) Latine loquendi consuetudo quam diligentissime retineatur et variis artibus inter pueros foveatur. Latine libenter et facile loquentur, si loquendi formulas elegantes habeant explicatas a praeceptore bonis et propriis verbis. Inviti enim eloquimur, quae nos improprie aut inepte dicturos metuimus. Neque fuerit inutile formulas aliquot proponere pueris, quibus in lusu, quibus in congressu, quibus altis in rebus ac locis uti debeant. Dabit operam magister ipse, ut quam poterit emendatissime loquatur: loquentes discipulos ultro collaudabit, si quid dictum erit aptius; aut emendabit, cum errabunt. Iuvabit et illud, si propositis praemiolis aut poenis, velut ex lege provocentur, ut ipsi quoque inter sese alius alium emendent, et eruditiores nonnulli deligentur qui controversiam fiant."*

*Christianis litterarum magistris de ratione discendi et docendi, Parisiis 1692, p. 99.*

## SEMINARIA LATINITATIS VIVAE

In his seminariis participes inducuntur ut *Latine loquantur*. Non solum haec exercitatio est ad linguam Latinam bene noscendam omnino necessaria, sed insuper Latinitas apparet apta ad commercium iungendum inter gentes, quarum sermones patrii dissimiles sunt. Doctor P. Caelestis EICHENSEER, qui permulta seminaria iam moderatus est compluribus in regionibus Europae, iucunde docet sermonis Latini usum cottidianum.

Invitantur: - magistri linguae Latinae; eis gaudio atque utilitati erit addiscere Latine loqui.

- scholarum discipuli atque universitatum alumni; qui novum mirumque suae scientiae usum invenient.

- omnes linguae Latinae cultores, praesertim qui censeant hanc linguam optimum, quin etiam necessarium, unionis vinculum fore inter gentes Europaeas.

Anno 1992 duo fient seminaria Latina:

**- in Helvetia: Morsaci [Morschach], 26 m. Iulii - 1 mensis Augusti a. 1992.**

Hic locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Pagorum" situs est. Participes nomina dent definitive si tardissime duobus mensibus ante initium.

Interroganda est: Erica Roth

Aeschistrasse, 6

CH-3110 Münsingen (tel. 031/721.08.23)

**- in Belgica: Vavriae [Wavre], 7-14 m. Augusti a. 1992.**

Hoc oppidum ab urbe Bruxellis aliquibus viginti quinque chiliometris abest. Seminarium habebitur in magnis recentibusque aedibus in margine oppidi sitis, ubi lautis conclavibus bonisque commoditatibus fruuntur participes. Sessiones fient in spatioso oeco omnibus paedagogicis instrumentis praedito. Hospitium alimoniumque parvo constant. Non desunt in proximo loci ad mentes relaxandas apti vel res visu dignae. In proximo vico Iscaco est domus, ubi vixit Iustus Lipsius.

Interrogandus est: Dr Gaius Licoppe

Avenue de Tervueren, 76

B-1040 Bruxelles (tel. 02/735.04.08)

## FERIAE LATINAE

Alius Latinistarum conventus fieri solet Nicaeae [Nice] in Francogallia, in domo pulcherrime sita quae spectat ad Mare Mediterraneum, non longe a portu et ab Ambulatione Anglorum, quae dicitur. Ibi variae proponuntur acroases atque lustrationes. Anno 1992 Feriae fient **a die 18 in diem 25 m. Augusti.**

Interrogandus est: Clemens Desessard

9, résidence des Collines, rue Leo Brun

F-06210 Mandelieu

## DOMUS LATINA

Lingua Latina vivo modo docetur omni Lunae die, hora 19 (64 avenue Albert-Elisabeth, 1200 Bruxellis). Programma huius anni: textus leguntur parum noti, et antiquiores et (praesertim) recentiores.